Jahresbericht

über

das Königl. Domgymnasium zu Halberstadt

während des Schuljahrs von Ostern 1843 bis dahin 1844

von dem

Director **Dr. Theodor Schmid.**

Inhalt:

1. Quaestionum de dialecto Xenophontea capita selecta edidit **C. G. Heiland, Dr. Phil.**
2. Schulnachrichten vom Director.

Halberstadt, 1844.
Gedruckt bei Carl Heinrich Friedrich Dölle.

Quaestionum de dialecto Xenophontea capita selecta

edidit

Carolus Gustavus Heiland.

Cap. I.

De Laconismis aliisque doricae dialecti vestigiis.

Neque apud veteres neque nostra aetate defuerunt, qui quam laudem nonnulli Xenophontis dictioni tribuerunt, ut atticae apis nomine eum dignum haberent, variis notationibus detrectare studerent. Jam alio loco miram Xenophontis sortem conquestus sum, quem quum tota fere antiquitas admiretur recentiores viri docti et multis criminationibus notarunt et ea affecerunt injuria, ut multos libros nomine Xenophontis inscriptos ab eo abjudicarent. Nec poenitet me eorum, quae et ad defendendam sentiendi Xenophontis rationem et ad probandam Agesilai authentiam in editione protuli. Tantum autem abest, ut ab eo crimine, in quod dictionem Xenophontis vocarunt, eum tutum praestem, ut explicandum mihi proposuerim, unde mira illa dicendi ratio, in qua inveniantur omnium fere dialectorum vestigia, orta sit. Helladius quidem grammaticus mixtam Xenophontis dialectum inde explicare studuit, quod diu inter barbaros versatus esset. Maximi autem momenti ad dictionem Xenophontis fuisse ejus cum Spartanis consuetudinem et Haasius multis locis in editione reipublicae Lacedaemoniorum demonstravit et facili negatio ex reliquis scriptis probari potest. Itaque Laconismi, cujus in sentiendi et cogitandi ratione Xenophontem incusarunt, vel in sermonis usu multa sunt argumenta. Quamquam in hac quaestione non est omittendum, Xenophontem, quum multa de rebus gestis institutisque publicis Spartanorum exposuerit, non potuisse, quin locutionibus vocabulisque Spartanorum propriis uteretur, saepe tamen, ubi alio dicendi genere uti licuit, multa leguntur, quae in sermonem ejus ab illo Spartanorum usu irrepserunt. Quum vero pauca tantum laconici sermonis fragmenta aetatem tulerint, hanc quaestionem difficillimam esse apparet. Huc valet autem auctoritas

scriptorum, qui omnino dorica dialecto usi sunt, quum quae Doriensium propria fuisse cognoverimus, et ipsa a Spartanorum usu non fuisse aliena conjicere liceat. Itaque suscepi, ut hoc capite, quae Xenophon ex Spartanorum usu recepisset, sive laconicae sive omnino doricae dialecti propria, indagarem initio capto ab iis locutionibus, quibus aut in institutis moribusque Spartanorum aut in arte militari aut gymnastica describendis utitur Xenophon.

Nomen τὰ καλά saepe Xenophon ad omnem disciplinam publicam Spartanorum traduxit, ut non sit dubium, quin hic usus ab ipsorum Spartanorum consuetudine repetendus sit. Maxime autem intelliguntur instituta, quibuscumque cives ad virtutem adsuefiunt. Vid. Resp. Lac. 3, 3. Mueller Dor. II. p. 300. Hellen. V, 3, 9. καὶ ξένοι τῶν τροφίμων καλουμένων καὶ νόθοι τῶν Σπαρτιατῶν, μάλα εὐειδεῖς τε καὶ τῶν ἐν τῇ πόλει καλῶν οὐκ ἄπειροι. ibid. V, 4, 32. 33. Apud Plutarchum (instit. lac. §. 26. ed. Tauchn. II. p. 178.) dicuntur Spartani precari διδόναι τὰ καλὰ ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς καὶ πλέον οὐδέν. In Xen. Mem. II. 6, 18. πόλεις αἱ τῶν τε καλῶν μάλιστα ἐπιμελούμεναι καὶ τὰ αἰσχρὰ ἥκιστα προσιέμεναι maxime Spartanorum urbem intelligi constat. Quem usum quod transtulit Xenophon etiam ad Persas in Cyrop. 1, 2, 15. οἱ γεραίτεροι διὰ πάντων τῶν καλῶν ἐληλυθότες, non est mirum, quum iis tribuere soleat illo libro, quae Spartanorum propria esse cognoverat. Utitur hoc vocabulo etiam Hippocrates Spartanus in epistola, quam infra tractabo, Hellen. I, 1, 23. ἔῤῥει τὰ καλά, quod Romanus dixisset: respublica detrimentum cepit. Haasius, qui de hoc usu ad remp. Lac. 3, 3. disseruit, exemplis demonstravit, etiam honores publicos et omnia ornamenta quae civibus de republica bene meritis contingerent, hoc nomine significari. Hoc autem memoratu dignum est, quam bene conveniat hoc nomen sentiendi rationi Spartanorum, qui ut Dorienses omnino in civitate τὸν κόσμον quaesierint. Quare apud Cretenses summi magistratus οἱ κόσμοι appellati et Lycurgi filio Eucosmi nomen inditum est. Neque alienum est ab hac ratione nomen τὰ τέλη sive οἱ ἐν τέλει, quo apud Spartanos summi magistratus appellabantur, διὰ τὸ αὐτοὺς τὰ τέλη τοῖς πράγμασι τιθέναι, ut interpretatur Thucydides, quod nomen, ut in aliis factum est, etiam ad magistratus aliorum populorum transtulit Xenophon. Unde factum videtur, ut Hesychius locutionem τέλος ἔχει Lacedaemoniis tribuat, ἔχει τέλος · τετελεύτηκε. Λάκωνες. Apud Xenophontem legitur haec locutio, de qua vid. Ast. ad Plat. Legg. p. 223., in Cyrop. II, 3, 22. ὅταν τέλος ἡ σκηνὴ ἔχῃ. III, 3, 34. ἐπεὶ δὲ τέλος εἶχεν ἡ θυσία. VIII, 3, 34. ὡς δὲ ταῦτα (certamina) τέλος εἶχεν. Anab. VI, 5, 2. καὶ ἤδη τέλος ἐχόντων τῶν ἱερων, Apol. §. 23. ὡς δὲ τέλος εἶχεν ἡ δίκη. Nec vero dubium est, quin ad illum Spartanorum usum referendum sit etiam vocabulum εὐεξία, quod de civitatis statu dixit Xenophon in rep. Lac. 8, 1. quod quum nullo exemplo probari posset, nonnullis editoribus offensioni fuit. Vid. Haas.

Locutionem τῇ ὄρφνῃ (Suidas vult ὀρφνῇ) ὅσα ἡμέρᾳ χρηστέον in rep. Lac. 5, 7. laconicam esse non temere conjicias. Plut. Lyc. c. 12. πιόντες οἱ Λάκωνες ἐν τοῖς συσσιτίοις μετρίως ἀπίασι δίχα λαμπάδος · οὐ γὰρ ἔξεστι πρὸς φῶς βαδίζειν οὔτε ταύτην οὔτε ἄλλην ὁδὸν, ὅπως ἐθίζωνται σκότους καὶ νυκτὸς εὐθαρσῶς καὶ ἀδεῶς ὁδεύειν, quae verba repetiit in instit. lac. p. 173. Legitur illa locutio etiam in Ages. 6, 6. καὶ γὰρ νυκτὶ μὲν ὅσαπερ ἡμέρᾳ ἐχρῆτο, ἡμέρᾳ δὲ ὅσαπερ νυκτὶ. Hell. VI. 1, 15. ἱκανὸς γάρ ἐστι καὶ νυκτὶ ὅσαπερ ἡμέρᾳ χρῆσθαι. Cyrop. I. 5, 12, ὑμεῖς δὲ νυκτὶ μὲν δήπου, ὅσαπερ οἱ ἄλλοι ἡμέρᾳ

δύναισθ' ἂν χρῆσθαι. Vocabulum autem ὄρφνη, quo in rep. Lac. usus est, doricae originis esse verisimile est. Adjectivo ὀρφνινός usus est Xenoph. in Cyrop. VIII, 3, 3.

Locutiones τὸ ἐρωτηθὲν ἀκοῦσαι in rep. Lac. 3, 5. et οὐδὲ τὸ ἐρωτώμενον ἀποκρίνασθαι δυνάμενος Mem. IV, 2, 23. laconicas esse recte intellexit Haasius, quas cur Platonicas dixerit Bernhardy synt. p. 135. neque ego intelligo. De dicendi genere laconico vid. Mueller. Dor. II. p. 385. sqq. Laconicum certe ingenium illae locutiones optime exprimunt, quod cognoscitur etiam ex Cleandri verbis Anab. VI, 6, 34. τάχύ τοι ὑμῖν ἀποκρινοῦμαι, quod male vertunt sine mora, quum significet paucis et ad illam brachylogiam Lacedaemoniorum propriam referendum sit. Unde facultas sententiam paucis iisque aptissimis verbis exprimendi τάχος τῆς σημασίας dicitur, Thucydidis maxime propria. Cf. Mueller. Histor. litter. gr. II, p. 363. Roscher. Thucyd. p. 337. Huc refero etiam, quod quibusdam audacius videatur, ἀπαληθεῦσαι, quod legitur in Oecon. 3, 12. πάντως δὲ — ἀπαληθεῦσαι πρὸς ἡμᾶς. Legitur enim apud Hesychium ἀπαλοῖξαι, ὀμόσαι · Λάκωνες, ubi quum scriptum esset ἀπαλλοῖξαι et ἀτταλασίξαι, Valcken. ad Theocr. Adon. II, p. 108 emendavit ἀπαλασίξαι, i. e. ἀπαλῆθισαι. Infinitivum in loco Xenoph. retinere licet, modo ne quis dicat eum pro imperativo positum esse, aut ἀπαλήθευσον scribendum est ut et ipse Valcken. l. l. proposuit.

Quae leguntur in Conv. 4, 15. διὰ γὰρ τὸ ἐμπνεῖν τι ἡμᾶς τοὺς καλοὺς τοῖς ἐρωτικοῖς, iis comparare licet Aeliani locum, ubi vocabulum laconicum εἰσπνεῖν de amatoribus notavit. Var. hist. 3, 12. Λακεδαιμόνοι δέονται τῶν ἐραστῶν εἰσπνεῖν αὐτοῖς. Λακεδαιμονίων δέ ἐστιν αὕτη ἡ φωνὴ, ἐρᾶν δεῖν λέγουσα. Hinc Theocrit. 12, 13. 14. ὁ μὲν ἦν εἴσπνηλος, φαίη χ' ὡμυκλαϊσδων, τὸν δ' ἕτερον πάλιν, ὥς κεν ὁ Θεσσαλὸς εἴπεν, ἀΐταν. Vid. Callim. fragm. 169. Plut. Cleom. 3. ἐμπνεῖσθαι. Etym. Gud. 23, 2. Orion 617, 49. Mueller. Dor. II, 290. Cf. Plat. Sympos. c. VI. p. 179. B. Non dissimilis est locus in rep. Lac. 3, 4. τὸ αἰδεῖσθαι ἰσχυρῶς ἐμφυσιῶσαι βουλόμενος αὐτοῖς, ubi recte Schneiderus ex Cod. Lips. Pariss. sex recepit ἐμφυσιῶσαι pro ἐμφῦσαι, quod ex Stobaeo recepit Zeunius. Significat ἐμφυσιοῦν h. l. ingenerare, in naturam et indolem convertere. Doricum esse vocabulum docet ejus usus in Pythagoreorum locis, quorum duo potissimum Charondae huc valent apud Stobaeum 44. p. 192. et 44. p. 195. ab Haasio allati in ind. p. 305.

Laconicam vocem συμβολεύειν significantem συμβολευτὴν εἶναι, sodalem esse coenae collaticiae, restituerunt recte Xenophonti in rep. Lac. 2, 5. recentissimi editores. Aliquid commendationis habet ab Epicharmi fragmento 71. (ed. Ahrens.) apud Athen. IX. p. 374. E. ταῦτα δή με συμβολατεύειν ἔφα τοῖς Ἀχαιοῖσιν προδιδόμεν τ' ὤμνυέ με τὸν δέλφακα. Quum in rep. Lac. 4, 4., ubi de equitum delectu agitur, optimi libri habeant οἱ οὖν μὴ τυγχάνοντες τῶν καλῶν πολεμοῦσι τοῖς μὴ ἀποστείλασιν αὐτοὺς καὶ τοῖς αἱρεθεῖσιν ἀνθ' αὐτῶν, non tanta debebat esse recentioribus editoribus Stobaei auctoritas, ut μὴ omitterent. Solus Haasius recepit, recte in ind. p. 296 sq. interpretatus ἀποστέλλειν de iis, qui creati et instructi equitum dignitate dimittuntur. Proprium fuisse hunc usum Spartanorum non sine veri specie idem vir doctus conjecit. Quem citavit Teletis apud Stobaeum 40. p. 233. locum de Lacedaemoniis ἀποστέλλουσιν εἰς τοὺς Εἵλωτας, videndum est ne is contrarium probet. —

Φρουρά apud Lacedaemonios exercitum significat et φρουρὰν φαίνειν Palmer. ad Arist. Vesp. 870. phrasin laconicam recte appellavit, quam rectius explicavit Mo-

rus in ind. ad Hellen. s. v. φρουρά, ubi citantur exempla Xenophontea. Cf. Sturz. lex. Xen. IV. p. 420. Hermann. antiq. gr. 45, 3. Mueller. Dor. II, 122. De significatione vocabuli ἔμφρουρος in rep. Lac. 5, 7. vid. Mueller. Dor. II, p. 232. Lacedaemonii quum annos ἀφ' ἥβης numerarent, brevis est in re militari locutio laconica τὰ δέκα, τὰ πεντεκαίδεκα, τὰ τριάκοντα, τὰ πέντε καὶ τριάκοντα, τὰ τετταράκοντα ἀφ' ἥβης; Cf. lex. Xen. II, p. 463. Plerumque in hac locutione peccarunt librarii, quorum errores correxit Dindorf. ad Hellen. II, 4, 32. De verbo συστρέφειν, quod usitatum fuisse videtur tacticis laconicis vid. Haas ad remp. Lac. XIV, 6. p. 278., de vocabulo ἀραιός in ind. p. 297., de verbo κρίνειν singulari modo dicto adn. ad XI, 4. p. 199. παρεγγύησιν Spartanorum explicavit ad XI, 5. p. 208. In Hellen. IV, 4, 17. ὥστε οἱ μὲν Λακεδαιμόνιοι καὶ ἐπισκώπτειν ἐτόλμων ὡς οἱ σύμμαχοι φοβοῖντο τοὺς πελταστάς ὥσπερ μορμόνας παιδάρια extrema verba efficiunt locutionem laconicam. Cf. Mueller. Dor. II, p. 244.

In schematis gymnasticis praepositionis ἀπό usum Spartanorum proprium fuisse statuere licet. Unde explicanda est locutio ἀπό τε τῶν σκελῶν καὶ ἀπὸ χερῶν καὶ ἀπὸ τραχήλου γυμνάζονται in rep. Lac. 5, 9. de qua exposuit Haas. in adn. Cf. Mueller. Dor. II, p. 309. Huc refero etiam cum Haasio ind. p. 294. ἀναθορεῖν. De vocabulis λιπαρός, ὑπολύεσθαι, ὄρθιάδε huc pertinentibus vid. Haas. in edit.

Non licet dubitare de dialecto in iis vocabulis, in quibus retinuit Xenophon doricam formationem, quae brevi explicatione illustrata hic addam. Vocabula λοχαγός, οὐραγός, ξεναγός, Ἑλλανοδίκης nominare sufficit, quum ad reliquos quoque Graecos transierint. Omnino recte animadvertit Lobeck. ad Phryn. p. 430. maxime vocabula musica, palaestrica, militaria, quarum rerum scientia apud Dorienses florebat, dorice colorata esse.

Laconicae originis est vox ἄγημα in rep. Lac. 11, 9. 13, 6. ubi vid. Haas. τὸ ἄγημα est idem quod in Anab. II. 4, 26. τὸ ἡγούμενον τοῦ στρατεύματος. VI. 3, 12. παριέναι ἐπὶ τὸ ἡγούμενον. Neutrum est etiam in formula ἕπεσθε τῷ ἡγουμένῳ Anab. II. 2, 4. VII, 3, 6. et ἀκολουθεῖν τῷ ἡγουμένῳ Hellen. IV, 2, 19. Liceat hoc loco retractare sententiam, quam proposui de loco Ages. I, 33. in editione. Cum Dindorfio Schneiderum secutus scripsi εἰ δέ τινες τὴν Ἀσίαν ἑαυτῶν ποιοῦνται, πρὸς τοὺς ἐλευθεροῦντας διακρινομένους ἐν ὅπλοις παρεῖναι restituto ex libris participio διακρινομένους, quod illi in διακρινουμένους non recte mutarunt. Videtur autem librorum scriptura, quam ex Guelferbytano etiam notavi, πρὸς τὸ ἐλευθεροῦν τοὺς διακρινομένους retineri posse, ut τὸ ἐλευθεροῦν neutrum participii esse statuamus Invitat igitur Agesilaus, qui Asiam suam vindicent, ut accedant ad id, quod libertatem ferat iis, qui in discrimine versentur. Intelligit autem Graecorum exercitum seque ipsum ejus ducem ut Asiae liberatores. Nec vero videtur recedere haec dicendi ratio ab usu Graecorum, cujus exempla multa ex Thucydide attulit Poppo in ed. min. ad II, 45. Ut redeam ad ἄγημα, ducitur a laconico verbo ἀγεῖσθαι cujus vestigia omnia nunc deleta sunt, ut non appareat nisi in nominibus propriis. Apud Xenophontem leguntur Ἆγις, Ἀγησίλαος, Ἀγησίπολις, Ἀγησίστρατος. Cf. Mueller. Dor. II, p. 525. qui ex Aristoph. Lysistr. v. 1314. ἀγῆται attulit, quod libris ducibus expulit Dindorfius. Vid. Ahrens. de dial. dor. p. 38. Apud Pind. Pyth. I, 4., quod legebatur ἀγησιχόρων emendavit Bergkius ἀγησιχόρων. Dictus est a verbo ἀγεῖσθαι apud Lacedaemo-

nios Ζεὺς Ἀγήτωρ in Xen. rep. Lac. 13, 2. unde sua hausit Nicol. Damasc. apud Stobaeum 44. p. 294. Quam formam recte restituerunt Terpandro fragm. 4. (Clem. Alex. Strom. VI, p. 847. ed. Potter.) Ζεῦ, πάντων ἀρχά, πάντων ἀγήτωρ, Ζεῦ, σοὶ πέμπω ταύταν τὰν ὕμνων ἀρχάν. Apud Megalopolitanos cultus est Ἑρμῆς Ἀγήτωρ. Pausan. VIII, 3, 4.

Invenitur apud Xenophontem etiam laconica jurandi formula ναὶ τὼ σιώ i. e. θεώ. Intelliguntur Dioscuri. In Anab. VI, 6, 34. jurat ita Cleander Lacedaemonius et in Hell. IV, 4, 10. Pasimachus Laco. Cf. Gregor. Cor. p. 302. Schol. ad Aristoph. Lysistr. 81. Ahrens. de dial. dor. p. 67. Valcken. ad Theocr. Adon. II, p. 113. sq. Egregie formulam restituit Xenophonti Dindorfius in Anab. VII, 6, 39. Χαρμῖνος δὲ ὁ Λακεδαιμόνιος ἀναστὰς εἶπεν, Ἀλλ' οὐ τὼ σιώ, ἐμοὶ μέντοι οὐ δικαίως δοκεῖτε, quam scripturam hausit ex scholio libri unius, ὅ ἐστι μὰ τοὺς θεούς. Reliqui ediderunt ἀλλ' οὕτωσι. Ducit ad illam conjecturam etiam varietas scripturae in nonnullis libris ἀλλ' οὑτωσὶ ὦ ἐμοί. Ingeniose autem idem vir doctissimus eandem emendationem adhibendam censet Ages. 5, 5. ὁ Ἀγησίλαος εἶπεν · οὐ τὼ σιὼ οὐδ' εἰ μέλλοιμι κ. τ. λ. ubi etiam οὕτωσι legitur, quam emendationem quod non recepi nunc me poenitet. Huc pertinet etiam Dercyllidae cognomen Σίσυφος. Xen. Hellen. III, 1. 8. Δερκυλλίδας ἄρξων ἀφίκετο ἐπὶ τὸ στράτευμα, ἀνὴρ δοκῶν εἶναι μάλα μηχανικὸς καὶ ἐπεκαλεῖτο δὲ Σίσυφος. Etym. Magn. p. 501. Σίσυφος εἴρηται οἱονεὶ σιόσυφος ὁ ἔχων ἐκ τῶν σιῶν, τοῦτ' ἔστι τῶν θεῶν, τὴν σοφίαν. Quod ex Ephoro affert de Dercyllida Athen. XI. p. 500. ἦν γὰρ οὐδὲν ἐν τῷ τρόπῳ Λακωνικὸν οὐδ' ἁπλοῦν ἔχων, ἀλλὰ πολὺ τὸ πανοῦργον καὶ θηριῶδες · διὸ καὶ Σκύθον αὐτὸν οἱ Λακεδαιμόνιοι προςηγόρευον, ita sine dubio explicandum est, ut eidem viro a ferocitate nomen Σκύθος inditum sit. Cf. Morus in examine quorumdam locorum hist. gr. Xen. c. VII. Ex Aristot. Ethic. Nicom. 7, 1. καθάπερ οἱ Λάκωνες εἰώθασι προςαγορεύειν, ὅταν ἀγασθῶσι σφόδρα του, σεῖος ἀνήρ explicaverim locum Xenophonteum, qui legitur in Oecon. 21, 5. οἱ δ' αὖ θεῖοι καὶ ἀγαθοὶ καὶ ἐπιστήμονες ἄρχοντες, ubi hunc usum non intelligens recentissimus editor, Lud. Breitenbachius, legendum proposuit δεινοί. Non est dissimilis §. 11. θεῖον γενέσθαι. Cf. Platon. Meno p. 99. E. c. XLI. καὶ οἱ Λάκωνες ὅταν τινὰ ἐγκωμιάζωσιν ἀγαθὸν ἄνδρα, θεῖος ἀνήρ, φασιν, οὗτος.

De dorica forma γεροντία, quae est in rep. Lac. 10, 1. 3. vid. Ahrens l. l. p. 62. ἱππαγρέται in rep. Lac. 4, 3. dicti sunt, quod τοὺς ἱππεῖς ἀγροῦσι. Doriensibus autem et Aeolibus est ἀγρέω idem quod αἱρέω. Ahrens de dial. dor. p. 112. de dial. aeol. p. 25. 74. Buttm. lexil. I, p. 130. Forma dorica δαμοσία ubique Xenophonti restituenda est, ut inde a Schneidero fecerunt omnes editores in rep. Lac. 13, 7. Hell. IV, 5, 8. Itaque recte tractavit locos Hell. VI, 4, 14. IV, 7, 4. Dindorfius. In Hellen. VI. 5, 7. Dobraeus certissime legendum censuit ἡττώμενοι δὲ οἱ περὶ τὸν Πρόξενον καὶ Καλλίβιον ἐν τοῖς θεαροῖς forma dorica pro θεωροῖς. Ita omnis de theatris, quae antea legebantur, removetur dubitatio. Fugit haec conjectura Ahrens. de forma θεαρός disserentem l. l. p. 181. sq. Cf. Koen. Gregor. Cor. p. 197. Habemus duo Epicharmeae fabulae fragmenta, cujus inscriptio erat Θεαροί, apud Ahrens. fr. 58. 59. p. 445. Dorica forma est κάρανος Hell. I, 4, 3. καταπέμπω Κῦρον κάρανον τῶν εἰς Καστωλὸν ἀθροιζομένων · τὸ δὲ κάρανόν ἐστι κύριον, qua usum esse Darium, quod cum Doriensibus loqueretur, et Larcheri et Koeppenii est opinio contra Segaar. qui in epist. ad Valcken. p. 41. locum e Lex. Ms. protulit, κατὰ Πέρσας κάρανος, τοῦτ' ἔστι δεσπότης · τῇ δὲ Σύρῳ διαλέκτῳ ἀν-

δρεῖος, πολεμιστής, δυνατώτατος. Itaque etiam quod Persis tribuitur in Cyropaedia gladii genus falci similis, κοπίς, nonnuli viri docti Persicae originis esse voluerunt. Mihi constat a Laconibus petitum esse, quibus etiamsi alia significatione hoc vocabulum in usu est, quum κοπίς iis sit δεῖπνον. Cf. Athen. IV. p. 138. sqq. Utraque significatio ducenda est a verbo κόπτειν, ut δαίς a δαίειν, dividere, derivatur. Unde ἀρτοκόποι dicti sunt in Anab. IV, 4, 21. ubi vid. Bornem., quos ex Xenophonte commemoravit Pollux 7, 21. Cf. Lobeck. Phryn. p. 222. sq. Habet Xenophon eos etiam in Hell. VII, 1, 38. Contra fallitur Sturz. lex. Xen. s. v. ἁρμοστής, qui putat, Hell. IV, 8, 39. καὶ Λακεδαιμονίων δὲ τῶν συνεληλυθότων ἐκ τῶν πόλεων ἁρμοστήρων laconicam formam esse ἁρμοστήρ, quum potius Attica sit, ut aliae multae, quibus Xenophon delectatus est. Flexu Dorico ἁρμοσταί dicerentur ἁρμόκται, ut ostendit Valcken. ad Theocr. II, p. 318. Ceterum etiam ex hoc nomine cognoscitur, quid senserint Dorienses de civitate et de magistratibus, quorum erat, res publicas in ordinem redigere. Ahrens. de dial. dor. p. 109. ubi de σπολάς et στολάς egit non commemoravit varietatem scripturae, quae est in locis duobus apud Xenophontem. Anab. III, 3, 20. καὶ στολάδες καὶ θώρακες αὐτοῖς ἐπορίσθησαν. IV, 1, 18. ἀποθνήσκει ἀνὴρ ἀγαθὸς Λακωνικὸς Κλεώνυμος, τοξευθεὶς διὰ τῆς ἀσπίδος καὶ τῆς στολάδος εἰς τὰς πλευράς. Apud solum Xenophontem l. l. legitur vocabulum στολάς, cujus loco Pollux 7, 70. σπολάς affert. σπολὰς δὲ θώραξ ἐκ δέρματος κατὰ τοὺς ὤμους ἐφαπτόμενος, ὡς Ξενοφῶν ἔφη, καὶ σπολὰς ἀντὶ θώρακος. Cf. 1, 135. 10. 143. Hesych. Phot. p. 531. ed. Porson. Quod in Anab. IV, 1, 18. codd. Pariss. D. F. H. habent πολάδος, corruptum est propter antecedentem consonam ex σπολάδος. Nec dubium mihi quidem videtur, quin formae σπολάδες et σπολάδος Xenophonti restituendae sint. Aristoph. Av. 933. σὺ μέντοι σπολάδα καὶ χιτῶν' ἔχεις. Lacaenae in Aristoph. Lysistr. v. 273. Ahrens. et Bergk. σπολάς reddiderunt. De scriptura μασθός, quam plerique habent in Anab. I, 4. 17. et quam Heraclides Doriensibus tribuit apud Eustath. 452, 20. vid. Ahrens. l. l. p. 84. cll. p. 556. De vocabulo πυῤῥίχη Anab. VI, 1, 12. vid. Ahrens. de dial. aeol. p. 216. cll. Greg. Corinth. p. 290.

Omitto in hac quaestione omnia vocabula, in quibus, quamquam Spartanorum propria erant, Xenophon non retinuit doricam formationem, quibus multis in describendis Spartanorum institutis usus est. Unum tantum locum, Ages. I, 2. ὅτι ἔτι καὶ νῦν τοῖς προγόνοις, ὀνομαζομένοις ἀπομνημονεύεται, ὁποστὸς ἀφ' Ἡρακλέους ἐγένετο, quem jam tractavi, repetere liceat. Permaneo in ea explicatione, quam protuli in editione, quam clarius etiam dedit Sauppius apposita germanica versione, durch namentliche aufführung der vorfahren. Afferam autem conjecturam, quam de hoc loco aliquando mecum communicavit vir, harum litterarum bene gnarus, quem maxime veneror. Existimat enim τοὺς προγόνους patriciorum instar regiam familiam significare, atque post ὁποστός addendum esse τις, ut haec existat sententia: etiamnunc οἱ πρόγονοι, qui dicuntur, memorant, quotus quisque ab Hercule sit iique reges non privati. Patricius autem etiam Agesilaus est. Quomodo igitur quis magnificentius nobilitatem ejus praedicare possit? — A patriciis Spartanorum redeo ad doricae dialecti vestigia, quae vel in flexibus conjugationis inveniuntur. Dorica futuri forma παιξοῦνται legitur in Symp. 9, 2. ubi recte de ea judicavit Bornemannus. Neque contradicam, qui reposuerit etiam in Mem. III, 1, 4. ex Ald. Pariss. A. B. C. sec. man. D. cum Steph. doricam for-

mam προςέπαιξεν. Eruditissimus autem Lobeckius, quod neutrius loci mentionem fecit ad Phryn. p. 240. παῖξαι Δωριεῖς διὰ τοῦ ξ, ὁ δὲ Ἀττικὸς παῖσαι, magnopere miror. Tertium ejusdem Dorismi exemplum est in Cyrop. I, 3, 14. ubi Bornemannus ex optimis libris συμπαίκτορας scripsit. Cf. Lobeck. l. l. Dativus μαγάδι Anab. VII, 3, 32. est doricus. Vid. de hac declinatione Ahrens. l. l. p. 231. sqq. Omnino autem nomen illud ad Dorienses refero. Vid. de hoc instrumento musico interpr. ad Anab. l. l. Sturz. lex. Xen. s. v. Commemoratur in Alcmanis fragment. 81. (Athen. XIV, p. 636. F.) μάγαδιν δ'ἀποθέσθαι. Quum formae λαγωός duo inveniantur apud Xenophontem exempla, Cyneg. 10, 2. λαγωῶν et Cyrop. I, 6, 40. in melioribus libris λαγωοί, quas formas non esse sollicitandas recte censuit ad priorem locum Sauppius, laudans Bornemannum ad Cyrop. l. l., possit aliquis huc trahere Cyrilli lex. ad Thom. citatum p. 564. τὸ δὲ λαγωὸς Λακώνων ἐστίν. Sed tantum abest ut cum Sturzio dial. Maced. p. 178. apud Phrynichum (p. 186. ed. Lob.) hoc restituendum sit pro τὸ λαγωὸς δὲ οὐκ ἔστιν, ut ille locus hinc emendandus sit reposito οὐκ pro Λακώνων.

Supersunt vocabula Doriensium potissimum propria, quae ex Spartanorum usu recepit Xenophon, quamquam alio dicendi genere uti licuit.

Dorismum non intellexerunt viri docti in verbis Cleandri harmostae, quae leguntur Anab. VII, 1, 8. ἐπεὶ καὶ νῦν τινὲς ἤδη σε αἰτιῶνται ὅτι οὐ ταχὺ ἐξέρπει τὸ στράτευμα quae Hutchinsonum secuti interpretantur: exercitus non celeriter, sed quasi rependo exit. Significat autem ἕρπειν dorice incedere, ire, ut h. l. ἐξέρπειν idem sit, quod ἐκπορεύεσθαι. Hesychium s. v. ἐξερπετεῖν · ἐξεῖναι emendarunt viri docti ἐξέρπειν · ἐξιέναι et quod deinde sequitur ἐξέρον · ἐξεπορεύοντο mutatum voluit Hemsterhusius in ἐξέρπον pro ἐξεῖρπον, addens, ἕρπειν et ἑρπύζειν praesertim more Dorum nihil aliud significare quam πορεύεσθαι, βαδίζειν. Legitur ita ἐξέρπειν apud Diog. Laert. I, 73. in dorica Chilonis epistola, ἐπιστέλλεις ἐμὶν ἐκστρατίαν ἐπὶ ἐκδάμως καὶ ὡς οὗτος ἐξέρποις et ibidem I, 113. in epistola Epimenidis ἕρπε ἐς Κρήταν ποθ' ἄμμε. Valcken. ad Theocr. Adon. II, p. 245. sq. docte de hoc usu disseruit, quem indicavit etiam in ind. ad Eurip. Hippol. s. v. ἕρπειν. Addam ejus exemplis Alcman. fragm. 11. (ed. Bergk.) ἕρπει γὰρ ἄντα τῶ σιδάρω τὸ καλῶς κιθαρίσδεν. Frequens est usus hujus verbi in inscriptionibus doricis. In titulo Cretensi (C. I. 2556.) quater legitur. Eadem ratio est vocabuli ἑρπετά, quod non tam poeticum, quam doricum esse putaverim. Legitur apud Xenophontem in Mem. I, 4, 11. ἔπειτα τοῖς μὲν ἄλλοις ἑρπετοῖς πόδας ἔδωκαν, ubi licet etiam ex iis, quae cap. II. de hoc loco attuli, vocabuli excusationem repetere. Legitur in Alcmanis fragmento pulcherrimi carminis, quo noctem celebrat, (fr. 44. ed. Bergk.) φῦλλα τε ἑρπετά θ'ὅσσα τρέφει μέλαινα γαῖα. Adde Pind. Olymp. 7, 52. Pyth. 1, 25. frgm. 73. Theocr. 15, 118. Cf. Ahrens. de dial. dor. p. 505.

Siculo vocabulo ἀγλευκές, quod et Laconum est ex auctoritate Hesychii a Valckenaerio emendati ἀγλευκέρ · ἀηδές (pro αὐλός). Λάκωνες, bis usum esse Xenophontem affirmavit Suidas, cujus haec sunt verba: ἀγλευκὲς τὸ ἀηδὲς Ξενοφῶν εἴρηκεν ἐν τῷ Οἰκονομικῷ. δοκεῖ δὲ ξενικὸν ὄνομα Σικελικόν · πολὺ γοῦν ἐστι πάλιν παρὰ τῷ Ῥίνθωνι καὶ ἀγλευκέστερον ἀντὶ τοῦ ἀηδέστερον Ξενοφῶν Ἱέρωνι. Quare Kusterus et Orelli append. ad or. Isocr. p. 461. in Oecon. 8, 3. pro θεᾶσθαι ἀτερπές reponi voluerunt ἀγλευκές, quod etiam Schneidero visus est Suidas hoc loco in libro suo legisse. Sed quum h. l. nulla sit scrip-

turae varietas omnesque libri ἀτερπής praebeant, conjicere licet, Suidam respicere ea, quae leguntur §. 4., ubi in libris inepte scriptum est τοῖς δὲ φίλοις ἀκλεέστατον. Quid? si hoc loco legatur ἀγλευκέστατον, ut Zeunius voluit, quod vocabulum rarum est corruptum, quemadmodum in Hierone I, 21. factum est, ubi ab editoribus recte repositum est ἀγλευκέστερον. Ad sententiam hoc vocabulum bene aptari potest; nam στρατιὰ ἄτακτος οὖσα commode dici potest τοῖς φίλοις ἀγλευκέστατον ὁρᾶν, ut supra ταραχή-θεᾶσθαι ἀτερπές. Itaque carere possumus Kerstii conjectura ἀκαλλέστατον, quam ingeniosam esse fateor. Suidas autem quod formam ἀγλευκές posuit, non esse magnopere urgendum, quod sequitur exemplum probabit. Praeter Rhinthonem ex Doriensibus hoc vocabulo usus est Epicharmus in fragm. 168. (ed. Ahrens.) ἀγλευκές ἐστ' ἄνθρωπος.

Verbi πάσασθαι, quo Doriensium pars maxime Italiotae usi sunt, (vid. Ahrens. l. l. p. 108.) haec apud Xenophontem leguntur exempla. Anab. I, 9, 19. πέπατο, ubi vel πέπαστο vel πέπαυστο in codd. legitur. III, 3, 18. πέπανται, VI, 1, 12. πεπαμένον. VII, 6, 41. πέπαται, 6, 9. πεπάμεθα, ubi vulgo legebatur πεπαύμεθα. Resp. Lac. 6, 4. πεπαμένους, ubi ante Schneiderum legebatur πεπαυμένους. Cyrop. III, 3, 44. ubi pro vulgato κέκτησθε receperunt πέπασθε ex codice Leidensi apud Valcken. ad Theocr. Adon. II, p. 227., Pariss., margg. Steph. Nusquam vero legitur πασάμενος, quamquam Etym. Mag. p. 681, 52. testatur καὶ πασάμενος πολλάκις Ξενοφῶν λέγει ἀντὶ τοῦ κτησάμενος. Spartanorum maxime proprium fuisse hoc verbum docent multa inde formata nomina, de quibus vid. Valck. ad Ammon. 3, 7. Legitur apud Pind. Pyth. 8, 73. πέπαται. fragm. 72. Theocr. 10, 32. πεπᾶσθαι, 15, 90. πασάμενος. Saepe usi sunt Pythagorei apud Stobaeum, unde exempla proposuit Haas. in ind. p. 324. πέπαται Archytas apud Stob. 1, 73. πεπαμένον et πεπάσεται Pempelus ibid. 79, 52. p. 461. πεπᾶσθαι Diotogen. 48, 62. p. 330. Cf. Ahrens. l. l. p. 350. sq.

Quod in Hell. I, 1, 30. pro glossemate ἀνεκοινοῦτο receperunt ἀνεξυνοῦτο, doricum est. Suidas affert hanc formam ut Xenophonteam, ἀνεξυνοῦτο, ἀνεκοινοῦτο. Ξενοφῶν et s. v. ἀνακοινώσασθαι. Ξενοφῶν δὲ καὶ ἀνεξυνοῦτο εἴρηκεν ἐν ταῖς Ἑλληνικαῖς. Cf. Valcken. ad Theocr. II, p. 47. ξυνός pro κοινός saepe apud Pindarum legitur. Olymp. 3, 18. 7, 21. Pyth. 4, 154. 9, 13. Isthm. 1, 46. 3, 46. Adjungam hoc loco nomen κοινῶν, quod legitur in Xen. Cyrop. VII, 5, 35. ubi vid. Zeun. Non legitur hoc vocabulum nisi apud Pind. Pyth. 3, 50. κοινῶνι παρ' εὐθυτάτῳ, ubi Boeckhius κοινᾶνι edidit. κοινανεόντων est in foedere Arginorum et Spartanorum, dorica dialecto conscripto apud Thucyd. 5, 79. Valcken. ad Theocr. l. l. loco Pindarico ξυνῶνι maluit. Hesychius qui habet κοινῶνας, κοινωνούς Xenophontei loci rationem habuit et Pollux 8, 134. citat hoc vocabulum ut Xenophontis proprium, οἱ γὰρ κοινῶνες Ξενοφῶντος ἴδιον. Vulgatum κοινωνοὺς ex Guelferbytano et Altorf. correctum est. Dicuntur ita viri principes, qui reipublicae administrandae sunt socii. Legitur etiam Cyrop. VIII, 1, 16. in Vat. Pariss. A. B. marg. Guelf. Apud Pindarum leguntur formae ξυνάονες Pyth. 3, 48. et ξυνᾶνα Nem. 5, 27.

Verissima est Haasii conjectura in ind. p. 299. usum particularum γε μήν justo frequentiorem apud Xenophontem fortasse a Spartanorum consuetudine profectum esse. Quae attulit ex Aristophane exempla, qui Lacaenae in Lysistr. v. 144. 170. bis tribuit particulas γα μάν, iis addo quinque ex fragmentis doricis, unde colligere licet hunc usum omnino apud Dorienses praevaluisse. Epicharm. fragm. 94. (ed. Ahrens.)

ὁ δέ γα μὰν φθίνει fr. 95. τεχνικός γα μάν· fr. 100. τέτορας ἔχει γα μὰν πόδας. fr. 58. τοῖς γα μὰν ὑπωδέλοις Sophron. fragm. 51. (ed. Ahrens.) ταί γα μὰν κόγχαι.

De nonnullis vocabulis difficilis est conjectura, quum ita comparata sint, ut etiam alii scriptores iis non abstinuerint etiamsi usus eorum apud Dorienses frequentior et in attico sermone poetarum fere proprius est. Nec vero Haasium de omnibus, quae huc vocarit, omnes harum rerum peritos assentientes nacturum esse existimo. Vid. de vocabulis βλαστάνειν, ἐπίψογος, ἐμπεδορκεῖν, ἀστυφέλικτος, ἐπιτείνεσθαι, κλωπεύειν, κνεφαῖος, μετὰ cum genit., κρατύνειν, σίνεσθαι, τορός, quae omnia in republica Lacedaemoniorum leguntur Haas. in edit. De aliis paullo certius judicare licet. Huc refero vocabulum εὐμάρεια, quod legitur in Oecon. 5, 9. ποῦ πλείων εὐμάρεια ἢ ἐν χώρῳ τῳ; (alii ἢ ἐν χωρίῳ;) ubi quum in libris sit ποῦ πολὺ πλείων εὐμάρεια ἐν χώρῳ τῳ legendum ego conjicio οὐ πολὺ πλείων εὐμάρεια ἐν χώρῳ τῳ; Stobaeus scripsit ex hoc loco εὐχέρεια. Huc valet auctoritas Schol. Hom. Il. ό. 137. μάρη γὰρ ἡ χεὶρ κατὰ Πίνδαρον. cll. Etym. Gud. 380, 28. Eustath. 1009, 42. (frgm. 296. Pind. ed. Bergk.). Adjectivo εὐμαρές saepe usus est Pindarus. Nem. 3, 21. 11, 33. Pyth. 3, 115. Simonid. frg. 154. v. 5. Epicharm. frgm. 23, v. 4. Adjectivum ῥαδινός etiam huc traxit Haasius rep. Lac. 2, 7. τὴν ῥαδινὰ τὰ σώματα ποιοῦσαν τροφήν. Legitur apud Alcmanem frgm. 23. χρύσεον ὅρμον ἔχων ῥαδινᾶν πετάλοισι καλχᾶν, in fragm. Stesichori apud Schol. Apoll. Rhod. III, 108. Στησίχορος δὲ ἐπὶ τοῦ εὐτόνου· ῥαδινοὺς δ' ἐπέπεμπον ἄκοντας. Addo Haasii verba ex ind. p. 327. „ῥαδινὰς κυπαρίσσους dixisse Theocritum monuit Steph. thes. s. v. ῥαδινοὺς πόδας nescio unde protulit Phrynichus in Bekk. Anecd. p. 61, 26. sic interpretatus: τοὺς ὀρθοὺς καὶ ἁπαλοὺς καὶ εὖ πεφυκότας.“ Similem rationem esse verbi ἐπιπολάζειν, quod invalescere significat in rep. Lac. 3, 2. μάλιστα δὲ ὕβριν ἐπιπολάζουσαν conjicias. Legitur certe in Epicharmi fragm. 133. ἐπιπολάζειν οὔτι χρὴ τὸν θυμὸν ἀλλὰ τὸν νόον. De verbo ῥέπειν vid. Haas. ind. 328. Legebatur in Alcm. fr. 11. ῥέπει, ubi nunc est ἕρπει. Quin huc pertineat comparativi forma μάσσων non est dubitandum. Suidas eam ex Xenophonte laudat μάσσων· μακροτέρα· Ξενοφῶν· ἂν μὴ πολὺ μάσσων ὁδὸς ᾖ. Equidem hanc formam, quam in Xenophontis libris exstare et Haasius ad remp. Lac. 12, 5. et auctore Sturzio Suidae editor negarunt, bis Xenophonti reddendam esse censeo. Petita autem sunt illa verba, ut Sauppius et Bornemannus indicarunt, ex Cyrop. II, 4, 27. ubi quum optimus liber Paris. A. praebeat μάσσων, jure mireris, quod Bornemannus non est ausus vulgatam scripturam ἐὰν μὴ πολὺ ἐλάσσων ἡ ὁδὸς ᾖ mutare. In rep. Lac. 12, 5. ubi legitur δεῖ δὲ οὔτε περίπατον οὔτε δρόμον ἐλάσσω ποιεῖσθαι ἢ ὅσον ἂν ἡ μόρα ἐφήκῃ, et importunum vocabulum uncis inclusit Haasius, si salva debet esse sententia, reponatur μάσσω necesse est. Utuntur autem hoc comparativo Pindarus, Theocritus, Callimachus, alii. Omnino autem miror, quod multis in locis veterum scriptorum deteriora melioribus nondum cesserunt, quamquam et corruptam esse vulgatam scripturam et quid scriptor scribere debuerit exploratum habemus. Dubitantius profero vocabulum, quod in Cyrop. I, 6, 16. ex optimis codd. recepit recentissimus editor, ἠπηταί, quod antiquius ego existimem quam ἀκεσταί, quamquam repugnant grammatici. Cf. Lob. ad Phryn. p. 95. sq. ἠπητής quod Thom. M. ποιητικώτερον dixit, Doriensibus fortasse erat vulgare. Num etiam διάβολος, quo usus est Xenophon in Ages. 11, 5. τούς γε μὴν διαβόλους μᾶλλον ἢ τοὺς κλέπτας ἐμίσει, ubi praeter alia Lobeckii adnotationem ad

Phryn. p. 315. attuli, eo modo explicandum sit, dubitari potest. Ex Pindaro certe διάβολος ἄνθρωπος citatur ab Eustath. ad Od. α' p. 1406. 14. et ad Il. α' p. 128.

Ad calcem hujus capitis addam, quae ipsa habet Xenophon ex aliis fontibus hausta doricae dialecti fragmenta.

Clarissimum laconicae dialecti exemplum est Hippocratis epistola, quam Spartam misit, quum Mindaro duce Spartani proelio navali victi essent, Hellen. I, 1, 23.

ἔῤῥει τὰ καλά· Μίνδαρος ἀπέσστα· πεινῶντι τὦνδρες,
ἀπορίομες, τί χρὴ δρᾶν.

Ita constituit verba Ahrens. de dial. dor. p. 483, ceterum magis dorica existimans πεινᾶντι et δρῆν. Vulgo legitur ἀπεσσούα, quod doricum esse pro ἰσσύη cum aliis statuit etiam philologus Regimontanus in ind. lect. (aest. a. 1843) p. 4. Exstat haec epistola etiam in Plut. Alc. c. 28. et citatur ab Eustath. p. 63, 1., qui quam habet formam ἀπέσσουα, explicat ἀφώρμησεν, ἀπῆλθεν, ἀπέθανεν p. 1792, 5. Formam ἀπέσστα Ahrens. putat esse ἀπέστη i. e. ἀπέδρα, ἔφυγε, ad quam sententiam se ductum esse dicit glossa Hesychii ἀπεσία, ubi vid. interp. Cf. Ahrens. l. l. §. 19. p. 147. Singularem hujus epistolae enarrationem scripsit Valcken. ad Theocr. II, p. 87—91. De metrica verborum ratione vid. Herm. de emend. rat. gr. gr. p. 294. ubi legi vult Μίνδαρος ἀπεσσούα — ἀποριῶμες ὅτι δρῆν et Mueller. Dor. II, p. 361. Cf. Schneider. ad Hell. l. l. et quae ego ad sententiam illustrandam supra de nomine τὰ καλά disserui. Dindorf. in ed. Berol. ἀπορίομες τί χρὴ δρῆν scripsit. De forma ἀπορίομες, quam habet etiam Victor., vid. Ahrens. §. 26. p. 207. sq.

Quae praeterea dorice scripta apud Xenophontem leguntur, ea minoris momenti sunt. Hellen. III, 3, 2. scripturam ita constituit Dindorfius: Ἀλλ' ὁ νόμος, ὦ Αγησίλαε, οὐκ ἀδελφὸν ἀλλ' υἱὸν βασιλέως βασιλεύειν κελεύει· εἰ δὲ υἱὸς ὢν μὴ τυγχάνοι, ὁ ἀδελφός κα ὡς βασιλεύοι. Ἐμὲ ἂν δέοι βασιλεύειν. Πῶς, ἐμοῦ γε ὄντος; Ὅτι ὃν τεὸν καλεῖς πατέρα, οὐκ ἔφη σε εἶναι ἑαυτοῦ. Ἀλλ' ἡ πολὺ κάλλιον ἐκείνου εἰδυῖα μήτηρ καὶ νῦν ἔτι φησίν. Ἀλλ' ὁ Ποτειδὰν ὡς μάλα σευ ψευδομένω κατεμάνυσεν ἐκ τῶ θαλάμω ἐξελάσας σεισμῷ εἰς τὸ φανερὸν τὸν σὸν πατέρα. De particula κα vid. Ahrens. l. l. p. 381 sq. et de constructione ejus cum optativo significatione imperativi Dindorf., qui quod ante legebatur καί cum Jacobsio (additam. ad Athen. p. 170.) in κα mutavit. Eandem emendationem Aristoph. Lys. 171. adhibendam esse censet Ahrens. l. l. Pro ὃν τεὸν antea legebatur ὄντινα, sed firmatur Dindorfii conjectura tribus libris ον τον, ὅν τε, ὄν τοι praebentibus. De forma Ποτειδάν vid. Ahrens. l. l. p. 244. Mueller. Dor. II, p. 520. De toto hoc loco cf. Valck. diatr. Eur. p. 291. Huc pertinet etiam locus, qui legitur in Hell. IV, 4, 10. ἔνθα δὴ λέγεται εἰπὼν ὁ Πασίμαχος (Laco) Ναὶ τὼ σιώ, Ἀργεῖοι, ψεύσει ὔμμε τὰ σίγμα ταῦτα et propter formulam ναὶ τὼ σιώ, de qua supra exposui, et propter ὔμμε.

Praeterea leguntur apud Xenophontem duo clarissimi Epicharmi versus in Mem. II, 1, 20. μαρτυρεῖ δὲ καὶ Ἐπίχαρμος ἐν τῷδε.

Τῶν πόνων πωλοῦντι πάντα τἀγάθ' ἁμὶν τοὶ θεοί,

ut scripsit Ahrens. p. 457. Cf. Ruhnken. ad h. l. Qui deinde sequitur versus, καὶ ἐν ἄλλῳ δὲ τόπῳ φησίν,

ὦ πονηρὲ μὴ τὰ μαλακὰ μῶσο, μὴ τὰ σκλήρ' ἔχῃς,

ut constituit eum Ahrens. l. l., ejicitur a Valcken. ad Herod. II, 117. quum alienus

sit ab hoc loco nec veteres scriptores soleant locum libri aut scriptoris τόπον dicere. Quod ad defendendum protulerunt exemplum ex Thucyd. I, 97. ἔγραψε δὲ αὐτὰ καὶ τὴν ἐκβολὴν τοῦ λόγου ἐποιησάμεν διὰ τόδε, ὅτι τοῖς πρὸ ἐμοῦ ἅπασιν ἐκλιπὲς τοῦτο ἦν τὸ χωρίον, ejus alia est ratio. Cf. Blum. ad Lycurg. Leocr. p. 83. Versus autem ipse, quem ex Xenophonte etiam laudat Stobaeus I, 101., quin sit Epicharmi non est quod dubitemus. Vid. Valcken. ad Theocr. II, p. 102.

Denique non sunt aliena ab hac quaestione nomina propria, in quibus doricam formationem retinuit Xenophon. Primo loco affero composita cum λαος, quae dorice formantur in λας, de quibus nominibus egit Ahrens. l. l. p. 119. 226. Apud Xenophontem sunt Πλειστόλας Hell. II, 3, 10. (Thuc. 5, 19. 25.), Σαμόλας Anab. V, 6, 14. VI, 5, 12. Στρατόλας Hell. VII, 4, 15. Sine dubio Hell. II, 3, 10. ubi margo L. et St. cum codd. B. C. D. Χαιρίλας habent, Χαρίλας scribendum est. De hoc nomine vid. Perizon. ad Aelian. V. H. 1, 27. ubi etiam olim Χαρίδας erat. Χαρίλας est in Plutarch. quaest. gr. c. 12. Idem nomen est quod Χάριλλος, Herod. 8, 131. Pausan. 3, 7. Eadem ratio est nominis Βάθυλλος, quod in inscriptione Βαθύλας est, multorumque aliorum. — Hell. III, 4, 1. dubitant, Ἡρώνδας an Ἡρώδας Syracusani nomen scribendum sit. Laconem Ἡρώνδας habet Plut. apophth. lac. II, p. 132. Priscianus I, p. 265. ed. Krehl. narrat, Syracusanos ἥρων pro ἥρως dixisse. Cf. Ahrens. l. l. p. 241. Valcken. ad Theocr. Adon. II, p. 92. — Hoc obiter addo, in Hellen. VI, 5, 38., ex quo loco Wyttenbachius Πατροκλέας protulit, quem refutavit Ahrens. l. l. p. 562. Πατροκλῆς ibi inveniri dicens, legendum esse Προκλῆς. Idem est Hellen. III, 1, 6. V, 3, 13. VII, 1, 1. — Ex genitivo novus formatus est nominativus Ἄρακος, qui est Lacedaemonius, Hell. II, 1, 7. 3, 10. III, 2, 6., fortasse restituendus etiam Hell. VI, 5, 33. ubi vulgo Ἄρατος legitur. Cf. de hac formatione Gregor. Corinth. p. 592. sq. Hesychius: Ἄρακος· ἱέραξ, Τυῤῥηνοί. Etiam Ἱέραξ invenitur apud Xenophontem Hell. V, 1, 3., de qua forma vid. Gregor. Cor. p. 240. Huc pertinet etiam φάραξ, nauarchus Lacedaemoniorum Hell. III, 2, 12. VI, 5, 33. Habet hoc nomen etiam Thuc. 4, 38. Quod Burmann. ad syllog. inscript. post Dorvillii Sicula p. 504. cll. 553. Xenophonti Anab. I, 2, 9. restituendum putat nomen Σῶσις, idem est quod Σωσίας, quod legitur, quum nomina in ις retracto accentu ex nominibus aut in ιος aut in ιας Doriensium more correpta sint. Vid. Ahrens. p. 233. Etiam nominis Πιτύας, quod bis legitur Hell. II, 3, 10. forma in ις apparet in libris Hell. II, 6, 1. Πίτιος μὲν ἐφορεύοντος, sed scribendum est cum Dindorfio Πιτύα, ad quam formam illustrandam attulit Ἀρχύτα Hell. II, 1, 10. Γνωσία I, 1, 29. Καλλία Ages. 8, 3. Doricum nomen est etiam Γῦλις Hell. IV, 3, 21., qui in Ages. 2, 15. Γῦλος appellatur librariorum errore. Similem rationem esse nominum Πόλλις Hell. IV, 8, 11. V, 4, 61. et Πῶλος Anab. VII, 2, 5. Schneiderus videtur existimasse, cui probabile est eundem virum intelligendum esse. Refutavit eum Krueger. de authent. Anab. p. 13. ex Hell. II, 1, 7. οὐ γὰρ νόμος αὐτοῖς (Λακεδαιμονίοις) δὶς τὸν αὐτὸν ναυαρχεῖν. Agmen claudat Neptunus Γαιάοχος, cujus sacrum commemoratur Hell. VI, 5, 30. quem a Spartanis cultum esse narravit Pausan. III, 20. 21. Nomina denique ephororum, qui recensentur a Xenophonte Hell. II, 3, 10. non omnia incorrupta esse mihi constat. Papius in lexico nomen Εὔαρχος ex illo loco attulit, quod ibi non legitur, contra ne-

glexit nomen Πιτύας, quamquam s. v. Πιτίας lectores ad hanc formam ablegavit; de nomine Ἀλεξιππίδας Xenophontem testem adhibere oblitus est.

Cap. II.

Epica poesis quid valuerit ad Xenophontem quaeritur.

Verissima est Hemsterhusii observatio ad Thomam Magistrum p. 26. Xenophontem voces locutionesque tum poeticas tum doricas, quarum in aliis scriptoribus nullum sit vestigium, si virtutem orationi adjungant, non aspernari. Poetica vocabula ex nullo scriptore plura adnotata esse quam ex Xenophonte exemplis nonnullis veterum lexicographorum appositis docet Lobeck. ad Phryn. p. 89. sq. Hermog. art. orat. p. 506. ed. Col. ἴδιον, inquit, Ξενοφῶντος καὶ τὸ κατὰ πόσα διαστήματα χρῆσθαι ποιητικαῖς πως λέξεσι πολὺ τῶν ἄλλων τῇ φύσει διεστηκυίαις λέξεων. Vid. Krueger. ad Anab. IV, 4, 14. ind. p. 553. Schaef. ad Gregor. Cor. p. 620. all. Poppo praef. Cyrop. p. XXXIX. idem Anab. p. XLIV. Weisk. tom. I. p. LXI. Quod non mirum accidet ei, qui meminerit, Graecos illa aetate poesi quasi helluatos esse et ad Xenophontem potissimum nonnulla quae poetica videantur a Spartanorum usu transiisse. In dorica autem oratione quum multa vulgaria sint, quae in attica poetica habentur, hoc ipsum in caussa est, cur in Xenophonteis libris plura quam in scriptis aliorum atticorum inveniantur poeticae orationis propria. Sed quae sunt apud Xenophontem epicae poesis vestigia, ut vel Homericorum locorum imitationes legantur neque locutiones Homericae, aliis scriptoribus inusitatae, a Xenophontis dictione alienae sint, videntur probare, epicam potissimum poesin valuisse aliquid ad Xenophontis dictionem constituendam.

Quaesituro quid epica poesis et maxime Homerus ad Xenophontem pertineat, a Socrate ordiendum est, quem verissime Homeri discipulum appellavit Dio Chrysost. orat L. p. 558. ἀλλὰ τοῦτό γε οἶμαι εἶναι σαφές, εἴ τις ἔμπειρος ἀμφοῖν τοῖν ἀνδροῖν, ὅτι Σωκράτης τό γε ἀληθὲς Ὁμήρου μαθητὴς γέγονε. Quod ne cui venustius quam verius dictum videatur, addam, quae mox sequuntur: ὑπὲρ τῶν αὐτῶν ἐσπουδαζέτην καὶ ἐλεγέτην, ὁ μὲν διὰ τῆς ποιήσεως, ὁ δὲ καταλογάδην· περὶ ἀρετῆς ἀνθρώπων καὶ περὶ κακίας καὶ ἁμαρτημάτων καὶ κατορθωμάτων καὶ περὶ ἀληθείας καὶ ἀπάτης, καὶ ὅπως δοξάζουσιν οἱ πολλοὶ καὶ ὅπως ἐπίστανται οἱ φρόνιμοι. Quam philosophi et poetae conjunctionem quum vel artifex expresserit in monumento antiquo, cujus in altera parte Homerus ex Mnemosyne carmina sua accipiens, in altera effictus erat Socrates, cum Eratone Musa colloquens, operae pretium est videre, quae inter poetarum principem et philosophiae patrem intercedat similitudo. Constat autem Socratem et multas sententias, quo gravius quae ipse traderet praecepta discipulis inculcaret, et quae sibi aliisque imitanda proponeret spectatae virtutis exempla ex Homero repetivisse. Duo autem potissimum sunt ex heroibus Homericis, quos duces in agendo sequi voluit Socrates, quorum alter Achilles pulchram mortem ignominiosae vitae praeferendam esse ostendit, alter Ulysses ut studio et labore id quod velis consequi possis exemplo comprobavit. Itaque laudavit eum Socrates propter temperantiam et abstinentiam, qua prae sociis suis excelluit, quum Circe artibus suis eos fallere vellet, in Mem. I, 3, 7. cll. Odyss. 10, 230 sqq.

Quod probavit ejusdem viri rationem, qua demagogos, quorum nulla esset utilitas, castigavit (Mem. I, 2, 58. cll. Il. 2, 188—198. qui versus ibi citantur), inde vel criminationis caussam repetierunt inimici. Atque ejus eloquentiae laudem, quae persuadeat audientibus neque a via aberret, maxime Ulyssi tribuit, ut ἀσφαλεῖ ῥήτορι. (Mem. IV, 6, 15. cll. Odyss. 8, 171. sq. Il. 3, 221—223.). Fortitudinem autem et constantiam animi, qui Achille melius comprobaverit, quum nemo sit, non est mirum, quod optimi quique eum aemulati sunt; ut Alexander, Epaminondas, alii sua quisque ratione eam laudem, cujus praeconem fortunatus ille adolescens Homerum invenerat, consequi studuerunt, ita exemplum ejus Socrati in mortis periculo obversabatur, quum Achille nemo fortius mortem oppetivisset. Vid. Platon. Apol. c. XVI. p. 28. C. Crito. c. II. p. 41. B. et quae adnotavit ad utrumque locum in versione germanica, libro egregio, Nuesslin. Alios quoque heroes Homericos dignos habuisse Socratem, quos quicunque boni evadere vellent imitarentur, et ex Platonis et ex Xenophontis scriptis cognoscitur. Cf. Sympos. 4, 6.

Homeri sententias solebat Socrates in disputando laudare et explicare et quo melius sua ipsius praecepta discipulis probaret ad auctoritatem ejus confugere. Mem. III, 2, 2. (cll. Symp. 4, 6.) explicat versum Homericum, de Agamemnone dictum, ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθός κρατερός τ' αἰχμητής. (Il. 3, 179.), quem dicitur Alexander prae ceteris in deliciis habuisse, et ibidem §. 1. ποιμένα λαῶν ex Il. 2, 143. Cf. Mem. I, 2, 32. ubi cum bubulcis τοὺς προστάτας τῆς πόλεως comparavit. Unde Xenophon in Cyrop. VIII, 2, 14. dixit, παραπλήσια ἔργα εἶναι νομέως ἀγαθοῦ καὶ βασιλέως ἀγαθοῦ cll. I, 1, 2. De Agamemnone vid. Mem. III, 1, 14. — Quum de ἔρωτος natura inter convivas Calliae Socrates disputaret, exemplis Homericis usus est et quae sibi viderentur de liberali et ingenuo amore, qui non corporis pulchritudine, sed bona animi indole excitaretur, exposuit exemplo Achillis, et fidelissima amicitia Patroclo conjuncti (Sympos. 8, 31. cll. Il. 18, 98.) et Phoenicem, qui quae deberet verbis et factis sequi consilia docuisset, pie colentis (Symp. 8, 23. cll. Il. 9. 443.) Ibidem de Ganymede disserens Homerum respicit, nominis explicatione ex illo fonte repetita. Quem locum intelligat Xenophon dubitant viri docti. Ad verba γάνυται δέ τ' ἀκούων, quod hemistichium non exstat in Homeri carminibus, conf. Il. 13, 493. 20, 405. et ad sequentia πυκινὰ φρεσὶ μήδεα εἰδώς Il. 17, 325. ubi vid. Spitzner., qui Xenophontem aut Homerica memoriter attulisse aut cum aliis, ut 24, 282. 674. Odyss. 19, 353. permiscuisse existimat. De allegorica Homericorum carminum interpretatione, quae Socratis aetate tractabatur, quid ipse senserit apparet ex Symp. 3, 6. Interdum etiam animi caussa loci Homerici citantur ad orationem jucundiorem et vividiorem reddendam, ut in Symp. 4, 6. ex Il. 23, 335 sqq. ibid. §. 7 ex Il. 9, 631. §. 45. Il. 9, 122. 264. Mem. II, 6, 11. ex Odyss. 12. 184. Quae Socratis sit cum Homero affinitas et quanta cum voluptate versetur in communione illorum virorum, quos Homerus celebrat, patet etiam ex Apolog. Xen. §. 32. ἀλλὰ μέντοι, φάναι αὐτόν, ἀνέθηκε μὲν καὶ Ὅμηρος ἔστιν οἷς τῶν ἐν καταλύσει τοῦ βίου προγιγνώσκειν τὰ μέλλοντα· βούλομαι δὲ καὶ ἐγὼ χρησμῳδῆσαί τι. Cf. Plat. Apol. p. 39. C. cll. Hom. Il. 16, 852. 22, 360. Xenophon autem eandem futura praevidendi facultatem morituro Cyro, quem ad Socratis exemplum descripsit, tribuit in Cyrop. VIII, 7, 21.

Omnino autem illa aetate in omnibus liberaliter institutis summa erat Homeri admiratio. Aristodemus eum ex epicis maxime admirabatur (Mem. I, 4. 3.) atque Niceratum, quum pater vellet ut ἀνὴρ ἀγαθός evaderet Iliadem et Odysseam memoria tenuisse scimus. (Symp. 3, 5. sqq.) A Socrate autem Homericorum carminum studium, quo maxime delectabatur, quum ad reliquos Socraticos tum ad Xenophontem transiit, ut inde explicanda sint multa epicae poesis vestigia in iis quoque libris, quibus non fecit Socratem disputantem. Ex Cynegetici initio referto illis vestigiis commemorasse sufficiat §. 12 ubi de Menestheo et Nestore comparatis καὶ οὐ προέχειν λέγεται, ἀλλὰ ἐρίζειν dixit ratione habita Hom. Il. 2, 555. Νέστωρ οἶος ἔριζεν. Ex reliquis libris addo Anab. V, 1, 2. cll. Odyss. 13, 75 sqq. Anab. III, 2, 25. cll. Odyss. 9, 94. sqq. Memorabilis locus est in Cyrop. VII, 1, 10—15. ubi in alloquiis, quibus Cyrus ad singulos milites accedens utitur, aperte Xenophon imitatus est Homerum, qui in Il. 4, 233 — 400 Agamemnonem ad singulos duces euntem eosque, ut singulorum rationes ferrent, aut cohortantem aut vituperantem fecit. Ad Homerum referenda esse, quae leguntur in Hellen. VII, 2, 9. τὰς δὲ γυναῖκας πιεῖν τε φερούσας καὶ ἅμα χαρᾷ δακρυούσας· πάντας δὲ τοὺς παρόντας τότε γε τῷ ὄντι κλαυσιγέλως εἶχεν, auctor est Pollux II, 64. Ξενοφῶν δὲ καὶ κλαυσιγέλως· εἴρηται δὲ ἀπὸ τοῦ παρ' Ὁμήρῳ (Il. 6, 484.) δακρυόεν γελάσασα. Cui opinioni aptum esse additum τῷ ὄντι, quod pariter atque ὄντως in dictis aliorum ad rem praesentem adhibendis usurpari solet alii loci probant. Cf. Dind. ad Hell. l. l. praef. ad Conv. et Ages. p. XI. Exempla Xenophontea attuli ad Ages. 1, 26. De voce κλαυσιγέλως vid. Schneid. ad Hell. l. l. Ad sententiam cf. Hell. VII, 1, 32. Soph. El. v. 906. Petitae sunt ex Homero communes quaedam dicendi rationes, proverbiorum instar habendae. Quae est in Hell. III, 3, 6. locutio, ὅπου γὰρ ἐν τούτοις τις λόγος γένοιτο περὶ Σπαρτιατῶν, οὐδένα δύνασθαι κρύπτειν τὸ μὴ οὐχ ἡδέως ἂν καὶ ὠ μ ῶ ν ἐ σ θ ί ε ι ν αὐτῶν, quam habet etiam in Anab. IV, 8, 14. τούτους, ἤν πως δυνώμεθα, καὶ ὠμοὺς δεῖ καταφαγεῖν, ejus antiquissimus auctor est Homerus Il. 4, 35. ὠμὸν βεβρώθοις Πρίαμον Πριάμοιο τε παῖδας. Quae legitur sententia in Anab. VII, 1, 33. ἐγὼ μὲν τοίνυν εὔχομαι, πρὶν ταῦτα ἐπιδεῖν ὑφ' ὑμῶν γενόμενα, μυρίας ἐμέ γε κατὰ γῆς ὀργυιὰς γενέσθαι, comparanda est Hom. Il. 4, 182. τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών, cll. Il. 17, 416. 6, 464. Quod multae aliae sententiae apud Xenophontem reperiuntur, quas Homerus habet, id non est mirum, quoniam ille σοφώτατος πεποίηκε σχεδὸν περὶ πάντων τῶν ἀνθρωπίνων (Symp. 4, 6.). Valet autem hoc maxime de artificiis et strategematis, quibus imperatores utuntur, in quibus qui aut Xenophontem Homerum aut Xenophontis duces heroes Homericos imitari statuat vix temeritatis crimen effugiat. Nec defuerunt qui doctrinae ostentandae caussa talia quaererent. In hanc suspicionem vocavi auctorem apophthegmat. lacon., qui (ed. Tauchn. II. p. 100.) Agesilaum in strategemate, quod narrat (vid. Xen. Ages. 1, 23. Plut. Ages. 9.) Agamemnonis exemplum propositum in Il. 23, 295. secutum esse dixit. Addam similia exempla, Anab. VI, 3, 16. cll. Hom. Il. 11, 545. — Anab. VI, 3, 24. cll. Il. 10, 68. — Cyrop. VI, 3, 27. VII, 5, 5. Mem. III, 1, 7. cll. Il. 4, 297. sqq. — Cyrop. III, 3, 45. Resp. Laced. 9, 1. cll. Il. 5, 531. — Cyrop. II, 2, 17. cll. Il. 9, 318. sqq. — Unum adjiciam locum, quo Homericum morem fortasse expressit Xenophon. In Cyrop. VII, 3, 6. ταῦτα ἀκούσας ὁ Κῦρος ἐπαίσατο ἄρα τὸν μηρὸν quis non meminerit Homeri Il. 12, 162. ᾤμωξέν τε καὶ ὣ πεπλήγετο μηρὼ Ἄσιος Ὑρτακίδης et

Odyss. 13, 198. ὤμωξέν τ' ἄρ' ἔπειτα καὶ ὣ πεπλήγετο μηρώ. Aliter lugent in Cyrop. III, 1, 13. et V, 4. 4. — Nec vero omittendum est in hac quaestione, Hesiodi quoque rationem haberi a Xenophonte, quum ejus praecepta passim commendet Socrates. Mem. I, 2, 56. citatur versus ex Opp. et D. 311., Mem. I, 3, 3. vers. 336. — Mem. II, 1, 20. ex Opp. et D. verss. 287 sqq. laudantur, saepe veteribus philosophis celebrati. Vid. Cobet. prosopogr. Xen. p. 9. sq. De loco in Xen. Oecon. 20, 17. τὸ ἥμισυ διαφέρει τοῦ ἔργου παντός, quem referunt ad Hesiod. Opp. et D. v. 40. vid. Bach. — His ita disputatis facilius me probaturum esse puto, epicorum studium aliquid valuisse ad dictionem Xenophontis, cui et ubi poeticis vocabulis usus sit et aliis locis ad poetarum dictionem appropinquantibus Homerica obversata esse conjici potest. Sed priusquam singula afferam exempla, alia antiquae poesis vestigia obiter commemorabo. In Cyneg. 1, 6. θεὸς ὡς παρ' ἀνθρώποις ἀείμνηστον κλέος ἔχει antiqui poematis versum agnovit Bornem. ad Conv. 4, 24. p. 123. Idem vir doctus, qua est sagacitate, ex Mem. I, 4, 11. trimetrum eruit ἔπειτα τοῖς ἄλλοις μὲν ἑρπετοῖς πόδας ἔδωκαν (cf. p. 7.) et ibid. IV, 3, 14. κεραυνὸς οἷς ἂν ἐντύχῃ πάντων κρατεῖ. — Cyneg. 1, 11. οὐ γὰρ ἂν ἦν ὁ μὲν σχεδόν τι ἄριστος, ὁ δὲ ὅμοιος ἀγαθοῖς Weiskius verba σχεδόν τι ἄριστος de Agamemnone et ὅμοιος ἀγαθοῖς de Ulysse ducta putat e loco poetae alicujus olim notissimo. Versus autem vetustissimus, quem ex Xenophonte affert Phavorinus s. v. ἥλικα. ἧλιξ ἥλικα τέρπει, γέρων δέ τε τέρπει γέροντα, ὥς φησι καὶ ὁ Ξενοφῶν, apud Xenophontem non legitur, quum ne allusisse quidem ad illud proverbium Xenophon in rep. Laced. 5, 5. dici possit. Cf. de hoc dicto Suidas s. ἧλιξ ἥλικα τέρπει ibique Bernhardy. Ast. in Plat. Phaedr. p. 264. Hoc animi caussa addo in Cyrop. VIII, 2, 8. ψέλλια καὶ στρεπτοὶ καὶ ἵπποι χρυσοχάλινοι una vocula τε ante καὶ addita hexametrum constitui. De qua re quid statuendum sit docebit Quinctil. IX, 4, 52. qui non sentientibus nobis omnia versuum genera excidere existimat. Saepe autem fit, ut, qui metrici pedes nobis scribentibus excidant, legentibus hunc illum poetarum locum in memoriam revocent, de quo scribentes non cogitavimus. Huc aliquid momenti habere multum lectionis usum intelligitur. Ut exemplo Xenophonteo utar, verba quae in Mem. I, 4, 5. de numine divino leguntur, ὥσθ' ἅμα πάντα ὁρᾶν καὶ πάντα ἀκούειν, quum rhythmorum quamdam speciem prae se ferant, legentibus Homerica repetent de Sole dicta, ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει. Odyss. 11, 109. Il. 3, 277. Sed ut tandem ad id perveniat, ad quod tendit disquisitio mea, leguntur in scriptis Xenophontis, quae ad Homeri exemplum ita formavit, ut vel locutiones Homericas vel singula vocabula poetae propria retinuerit. In Ages. 2, 14. ἐπεί γε μὴν ἔληξεν ἡ μάχη, παρῆν δὲ θεάσασθαι, ἔνθα συνέπεσον ἀλλήλοις, τὴν μὲν γῆν αἵματι πεφυρμένην, νεκροὺς δὲ κειμένους φιλίους καὶ πολεμίους μετ' ἀλλήλων, ἀσπίδας δὲ διατεθρυμμένας, δόρατα συντεθραυσμένα, ἐγχειρίδια γυμνὰ κουλεῶν, τὰ μὲν χαμαὶ τὰ δ' ἐν σώμασι τὰ δ' ἔτι μετὰ χεῖρας, quem locum et Eustath. ad Il. κ. 298. citavit et Victor. Homer. schol. apud Heyn. vol. VI, p. 626., verba τὴν μὲν γῆν αἵματι πεφυρμένην poetica sunt. Cf. Odyss. 9, 397. πεφυρμένον αἵματι πολλῷ. Quare retinui ibi etiam in vocabulo Homerico librorum scripturam κουλεῶν, vituperante Spillero in Jahn. annal. 1841. p. 298., aliis in locis lubentius audiens Hermannum, qui in Soph. Aj. v. 717. hanc formam rejecit, addens librarios formas Homericas ponere memoriae ex primis rudimentis inhaerentes. Vid. Lob. Aj. p. 336. ed. sec. De Xenophonte vid. Bornem. ad Cyrop. I, 2, 9. Non is sum.

qui ubi quaedam similitudo inter duos locos sit, tantopere Xenophontem antecedentium vestigia pressisse statuam, ut textum graecum inde constituendum esse censeam, quum similes sententiae saepe ex multis scriptoribus proferri possint, ut quos respexerit auctor ambigatur. Zeunius quidem in Mem. III, 9, 12. ἐάν τις τῷ εὖ λέγοντι μὴ πείθηται; ἐν ᾧ γὰρ ἄν τις πράγματι μὴ πείθηται τῷ εὖ λέγοντι κ. τ. λ. ad scripturam πίθηται defendendam eo argumento usus est, quum respexerit Xenophon Hesiod. Opp. et D. v. 293. οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει, ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται. — Hellen. III, 2, 4. ὥσπερ ἐν αὐλίῳ σηκασθέντες Homerica sunt ex Il. 8, 131. καί νύ κε σήκασθεν κατὰ Ἴλιον, ἠΰτε ἄρνες. Quae legitur locutio in Conv. 1, 16. τῇ ψυχῇ παρακελευσάμενος θαῤῥεῖν, quam illustravit Stephanus ad Cyrop. I, 4, 13. ubi legitur διακελευσάμενος ἑαυτῷ τολμᾶν, Homerica habenda est. Cf. Odyss. 20, 17. 1, 353. 21, 198. 16, 81. Il. 10, 319. 23, 591. — Ad Cyrop. VI, 4, 3. καὶ λανθάνειν μὲν ἐπειρᾶτο, ἐλείβετο δὲ αὐτῇ τὰ δάκρυα κατὰ τῶν παρειῶν, ubi λείβεσθαι est vocabulum poeticum, conf. Hom. Odyss. 8, 532. ἔνθ' ἄλλους μὲν πάντας ἐλάνθανε δάκρυα λείβων. — Quae sollemnis est apud Xenophontem formula, εἰ λῷον καὶ ἄμεινον εἴη, ducta est ex antiquo sermone epico, qui etiam oraculis adhiberi solebat. Vid. Hom. Odyss. 1, 376. εἰ δ' ὑμῖν δοκέει τόδε λωΐτερον καὶ ἄμεινον ἔμμεναι, quae repetuntur in libr. 2, v. 141. Cf. Plutarch. quaest. Rom. c. XXVIII. Xen. de vectig. 6, 2. ibique Saupp. Resp. Laced. 8, 5. ubi vid. Haas. Anab. V, 10, 15. VII, 7, 44. Simplex πότερον λώϊον αὐτῷ εἴη legitur in Anab. III, 1. 7. Simplicius Thucyd. I, 118. ἐπηρώτων τὸν θεόν, εἰ πολεμοῦσιν ἄμεινον ἔσται. Ex larga copia singulorum vocabulorum, quae poetica sunt apud Xenophontem et quorum usus ita, ut supra proposui, explicandus, pauca afferam brevibus adjectis adnotationibus. Anab. I, 7, 14. τάφρος ὀρυκτή forma dicendi Homerica est. Vid Il. 8, 179. Anab. I, 4. 11. in descriptione loci muniti πέτραι ἠλίβατοι ex Homero petitae sunt, quem scimus hoc adjectivo non esse usum nisi ad rupes arduas significandas nec recte de Xenophonte judicavit Buttmann. in lexil. II. p. 178. Locutionem μαινόμενον τῇ τόλμῃ in Cyrop. I, 4, 24. Homericam putarunt Stephanus et Hutchins. comparantes Odyss. 9, 350. Il. 5, 185. 8, 355. Homerica vocabula sunt ἀνκίνεσθαι Cyrop. II, 1, 31. cll. Odyss. 3, 265. Vid. Bornem. ad Cyr. l. l. ed. min. ἀμείβεσθαι in Anab. II, 5, 15. ubi ἀπημείφθη ἀντὶ τοῦ ἀπεκρίνατο. (Lexx. Segg. p. 424, 11.). ἐξαλαπάζειν in Anab. VII, 1, 29. Ἑλληνίδα δὲ εἰς ἣν πρώτην ἤλθομεν πόλιν, ταύτην ἐξαλαπάξομεν. Apud Homerum πόλιν ἐξαλαπάζειν est in Il. 1, 129. Od. 4, 176. Vid. Krueger ad Anab. l. l. ὀλοίτροχος Anab. IV, 2, 3. Cf. Buttm. lexil. II, p. 234. sqq. νέεσθαι Cyrop. IV, 1, 11. ἀπονοστεῖν Anab. III, 5, 16. μολεῖν Anab. VII, 1, 33. δουπεῖν Anab. I, 8, 18. ἄκληρος Anab. III, 2, 26. cll. Odyss. 11. 490. multaque alia. Homericum verbum διδέναι (Il. 11, 105.) restituit Xenophonti Porson in Anab. V, 8, 24. ubi vid. interpretes. Add. Schaef. ad Gregor. Cor. p. 620. Supersunt alii loci, quibus Homerica vocabula in aliquot codicibus sunt, Anab. IV, 4. 14. ἀτασθαλία. Cyrop. I, 5, 9. ἐσθλός etc. Ernesti conjectura ἀνερατίσαι in Mem. III, 5. 7. inutilis est. Cf. Bornem. ad Anab. VI, 6, 9. quem omnes secuti sunt.

Alia inveniuntur ea significatione dicta, qua uti Homerus solitus est. Ex Homero repetendus est usus verbi ἐθέλειν de rebus inanimatis Xen. Mem. III, 12, 8. Hier. 1, 30. Oecon 4, 13. Cf. Il. 21, 366. Unde videtur defendenda scriptura in Anab. VI, 4, 36. ἐμοὶ μὲν οὐκ ἐθέλει γενέσθαι τὰ ἱερά, ubi omisso γενέσθαι nonnulli habent poeticum vocabulum

τελέθει. Similiter de re inanimata dictum est ἐπακολουθεῖν in Cyr. VIII, 3, 8. καὶ ἡ χεὶρ τοῦ νεκροῦ ἐπηκολούθησεν, ut in Hom. Il. 3, 376. Cf. Eustath. 911, 3. In libro de re equestr. 9, 6. καθεψεῖν τὸν ἵππον dictum est, ut Homericum καταπέττειν χόλον, Il. 1, 81. si in loco Xenophonteo vera est scriptura, de qua vid. Saupp. Vocabulum ἀγορά Xenophon semel in Anab. V, 7, 3. ita usurpavit, ut ἐκκλησίαν significet, qui usus Homericus est, quem post Homeri aetatem non prorsus obsolevisse docent exempla a Kruegero ad l. l. allata. In Anab. V, 4, 32. ποικίλους δὲ τὰ νῶτα καὶ τὰ ἔμπροσθεν πάντα ἐστιγμένους ἀνθέμιον difficili vocabulo ἀνθέμιον auxilium petendum est ex Hom. Od. 24, 275. κρητῆρα πανάργυρον ἀνθεμόεντα et Il. 23, 885. Od. 3, 440. λέβητας ἀνθεμόεντας, quos grammatici ἠνθισμένους ποικίλως, ποικίλους, τετορευμένους ἀπὸ ἐντετορευμένων ἀνθῶν interpretantur. Vid. Spitzner. ad Il. 23, 885. Hic locus in mentem revocat alium Cyrop. I, 6, 38. ἐν τοῖς μουσικοῖς τὰ νέα καὶ τὰ ἄνθηρα εὐδοκιμεῖ, ubi Hutchinsono videtur Xenophon aut Hom. Od. 1, 351. aut Pind. Ol. 9, 73 sqq. αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων respexisse.

Etiam in syntaxi verborum multa inveniuntur, quae Homerica videantur, ex simplici et plano dicendi genere explicanda, quod ad epicorum indolem accedit, quae ipsa a Xenophonte haud admodum aliena est.

Cap. III.

De formis ionicae dialecti, quibus usus est Xenophon.

In hac quaestione difficillimum est, quae vere Xenophontea sunt a vitiis librariorum discernere. Quamvis libenter accedam ad Hermanni sententiam, cujus supra mentionem feci, librarios Homerum somniantes formas poeticas saepe posuisse, Dindorfius tamen ad Cyrop. I, 6, 46. ionicae dialecti vestigia justo fidentius in Xenophontis scriptis deleta vult, a quo quae abhorreant a polito Atticorum dicendi genere non sunt temere abjudicanda. De forma quidem αἰεί, quam illo loco damnavit Dindorfius, rectius judicavit Bornemannus ad Cyrop. V, 3, 58. et ἀεί et αἰεί Xenophonti pro codicum auctoritate concedens, quum, ut in sexcenta similia incidas in nostra et in reliquis linguis recentioribus, quibus et in scribendo et in dicendo utamur, idem sit, hac an illa forma usus sit. Cf. Born. ad Anab. II, 3, 13. Cyr. I, 6, 46. Saupp. ad Ages. 7, 3. Recte autem mihi videtur Dindorf. Cyrop. I, 2, 1. κλῄζονται pro κληΐζονται restituisse, recte idem vir doctus ὀϊστοῖς in οἰστοῖς correxit Anab. II, 1, 6. quum ne poetae quidem attici hanc epicam diaeresin admiserint. In Thucyd. lib. II, 75. IV, 40. 48. correxit Bekkerus. Cf. Poppo ad II, 75. Quod in Cyneg. 6, 17. nimis segniter latum dixit ἀναΐξας, id ipse retinuit, sed corrigere debebat Sauppius. Formam Homericam ἤϊα in atticam ᾖα mutarunt editores Cyrop. V, 4, 10. ubi in nonnullis editionibus interpretamentum est ἐπορευόμην. Cf. Bornem. et Hesych. s. v. ἤϊα et ἤϊεν. Quod in Anab. VII, 5, 12. Bornemannus νηῶν retinuit, id mirum mihi accidit. Hell. I, 1, 36.

jam Schneiderus in ed. sec. νεῶν scripsit. De forma ξεῖνος vid. quos citat Bornem. ad Anab. I, 1, 10. Adde de tragicorum usu Wunder. excurs. ad Soph. Oed. Col. v. 925. Habent eam formam etiam Pariss. B. C. D. E. Victor. Hellen. I, 7, 38. in nomine Καλλίξεινον. Ionicam formam αὖτις interdum in libris apparere adnotavit Bornem. ad Anab. V, 6, 25. Cf. VII, 2, 25. Cyrop. IV, 5, 56. Haec vox admonet me loci, qui adhuc corruptus jacet. De vectig. 4, 37. e Castalionis conjectura scripserunt κατά γε μὴν τὸ δυνατὸν περαίνοντες τὰ μὲν καλῶς γνωσθέντα καὶ αὖθις ἂν ἀνύοιμεν, quum libri praebeant ἡμῖν οἰόμεθα. Hermannus aliquando me docuit, librorum scripturam ducere ad conjecturam, aliquid excidisse; quodsi statuamus, excidisse γενέσθαι, sententiae loci optime subveniemus legentes ἡμῖν γενέσθαι οἰόμεθα. Neglexerunt interdum hoc emendandi genus viri docti. Etiam in difficili loco de rep. Lac. 2, 9. aliquid excidisse puto; quid fuerit nondum mihi constat; de Haasii quidem conjectura τύπους sive τύλους loco τύρους quae judicavit Sauppius, in iis me habet assentientem. In librum de vectigalibus quum supra inciderim, communicabo cum viris doctis conjecturam de loco, qui offensioni fuit; cap. 5, 12. καὶ τῶν προςόδων πολλὰς ἐκλειπούσας καὶ τὰς εἰςελθούσας εἰς παντοδαπὰ πολλὰ καταδαπανηθείσας nonnulli καί ante πολλά inserendum putarunt, Kruegerus de vita Xen. p. 28. πολλά ut importunum inclusit; Bornemannus epil. Cyrop. p. 38. ex hoc loco Cyrop. I, 4, 25. emendare vult. Omnes difficultates tolluntur, si legitur mecum, quod orationis concinnitas postulat καὶ τὰς εἰςελθούσας εἰς παντοδαπὰ πολλὰς καταδαπανηθείσας.

Redeo nunc ad ionica. Photii auctoritati ἕως, οὐχὶ τὸ ἠὼς τὸ Ἀττικόν ἐστι· Ξενοφῶν δὲ ἠὼς λέγει ποιητικῶς κατακόρως ἐν Κύρου παιδείᾳ. ἦν τε πρὸς ἠῶ, ἦν τε πρὸς ἑσπέραν· recte nihil tribuerunt editores Xenophontis. Pertinet autem illa observatio ad Cyr. I, 1, 5. ubi ne scripturae quidem varietas est. Anab. II, 4, 24. ubi vid. Bornem. et III, 5, 15. in Vat. H. legitur ἠῶ Idem praebent Pariss. A. B. in Cyrop. VIII, 8, 1. Cf. Lob. Phryn. p. 89. Eodem modo tractarunt editores testimonia veterum grammaticorum de vocabulo ὀδμή. Phryn. (p. 89. ed. Lob.) ὀσμή. χρὴ λέγειν διὰ τοῦ σ· διὰ γὰρ τοῦ δ ὀδμὴ Ἰώνων. παρανομεῖ γοῦν Ξενοφῶν εἰς τὴν πάτριον διάλεκτον ὀδμὴ λέγων et Thom. Mag. ὀσμὴ Ἀττικόν· ὀδμὴ δὲ Ἰωνικόν· καὶ Ξενοφῶν τοίνυν Ἰωνικῷ ἔθει ὀδμὴ λέγει. Formae ὀδμή ne unum quidem in libris apparet vestigium. Cf. Bornem. ad Cyrop. I, 6, 40.

Exempla contractionis non admissae largam praebent disputandi materiam. Ut via et ratione procedat disputatio, audiendi sunt veteres grammatici. Suidas, cui consentit cum aliis Thomas Magister: ἀνθέων· τὴν γενικὴν ὁμοίως τοῖς Ἴωσιν οἱ Ἀττικοί — οὕτως δὲ καὶ βελέων καὶ ὀρέων καὶ ἕτερα πλείονα Ξενοφῶν διαιρεῖ. Cf. Porson. ad Moer. p. 456. Schaef. ad Greg. Cor. p. 380. Ridet grammaticos Dorvill. Charit. p. 339. Quodsi ut debet lis ex auctoritate librorum dijudicanda est, recte scripsit de ven. 5, 5. Sauppius ἀνθῶν, Anab. I, 2, 25. Bornemannus ὀρῶν. Cyrop. III, 2, 1. meliores libri habent ὀρῶν, quos secutus est Bornemannus. ὀρῶν libri habent Hellen. IV, 6, 5. 8. VI, 5, 16. ὀρέων Anab. I, 2, 21. III, 4, 19. 5, 17. 18. IV, 1, 11. Formam βελέων ne uno quidem in loco tuentur codices et invitis iis reposuit Zeunius Cyrop. III, 3, 58. 61. 69. 70. IV, 1, 3. VII, 5, 6. βελῶν est etiam Anab. III, 4, 15. IV, 8, 11. Hell. IV, 3, 23. κερδέων est Hellen. II, 4, 21. 40. et in nonnullis libris Cyrop. IV, 2, 45. κερδῶν Cyrop. VIII, 1, 26. Mem. I, 2, 22. ubi vid. Kuehner. Intactum omnes editores reli-

querunt, quod libri habent in Ages. 1, 22. τειχέων, quamquam Anab. I, 4, 4. est τειχῶν. Atticorum poetarum exempla sunt ἀνθέων Soph. El. 896. ὀρέων Eur. Bach. 718. βελέων Arist. Vesp. 613. — Si fides habenda est grammaticis πηχέων vel πήχεων scribendum erit Anab. IV, 7, 16. Vid. Lob. Phryn. p. 245. — οἶες et βόες recte ediderunt Anab. IV, 5, 25. ubi vid. Bornem. IV, 7, 14. 8, 24. 25. VII, 3, 48. Cyrop. I, 4, 7. IV, 1, 9. contra accus. οἶς Cyrop. V, 2, 5. et βοῦς Anab. III, 5, 9. — De contractione adjectivorum cum νοῦς compositorum vid. Bornem. ad Cyrop. VIII, 2, 1. Dindorf. ibid. et ad Hellen. II, 1, 2. Saupp. ad Ages. 11, 5. Schaef. ad Greg. Cor. p. 480. Lobeck. Phryn. p. 142. qui ex Ages. l. l. nescio quomodo τῶν χρυψινόων citavit. Non recte fecit Bornemannus, quod Anab. V, 7, 7. ex uno libro scripsit πλόοι, genitivum πλόων bene defendit Saupp. ad remp. Athen. 1, 20. ubi alia quoque ad hanc rem utilia attulit. Ionica forma χρύσεα usus est Xenophon Ages. 5, 5. ubi Baumgartenii conjecturam χρυσία refutare studui. De σιδηρᾶ et σιδηρέα vid. Bornem. ad Cyr. VI, 1, 30. Anab. I, 6, 1. in margine Villois. ἴχνεα adnotari commemorasse satis est. — De formis διπήχη et τριπήχη, quae sine varietate Anab. IV, 2, 28. leguntur, vid. Poppo ad Cyrop. VI, 1, 30. ubi nonnullorum codicum scripturam διπήχη immerito repudiavit, quam recte tuitus est Bornemannus. In comparativis in ιων formatis, in quibus modo intermittitur modo admittitur contractio quanta sit libertas cognosci potest ex exemplis quae attulit Saupp. ad Conv. 5, 5. Cf. Bornem. ad Cyr. I, 6, 26. 5, 8. III, 3, 51. Mem. III, 3, 5. Exempla contractionis intermissae in verbis bisyllabis in εω, quae apud Xenophontem praebent verba δέω et πλέω, defenderunt Schaefer. ad Greg. Cor. p. 431. Buttm. gr. II, 1. p. 108, restituit Xenophonti Kruegerus ad Anab. VII, 4, 8. intacta reliquerunt alii, repudiarunt contra Bornemannus ad Anab. l. l., Schneiderus, sibi ipsi non constans, Dindorf. ad Anab. VII, 7, 31., alii assentiente Lobeckio ad Phryn. p. 220 sq. Cf. interpretes ad singulos locos, quibus ionicae formae sunt. δέεσθαι legitur Mem. I, 6, 10. II, 1, 30. 8, 1. Anab. VII, 7, 31. προςδέεται Mem. III, 6, 13. δέεται Mem. III, 6, 14. Anab. VII, 4, 8. προςδέεσθαι Mem. IV, 8, 11. ἐδέετο Hell. VI, 1, 6. πλέετε Anab. VII, 6, 37. ἔπλεεν Hellen. VI, 2, 27. Ex auctoritate librorum litem componendam esse, qui paullo iniquius de dictione Xenophontea sentiunt mecum existimabunt. Similis ratio est verbi λούεσθαι, cujus solutae formae sunt in Cyrop. I, 3, 11. λούεται, ubi vid. Poppo, IV, 5, 4. ἐλούοντο, ubi vid. Schneid. Utramque formam delevit Dindorfius. Participii soluta forma est Mem. III, 13, 3. Hellen. VII, 2, 22. ubi eam retinuit etiam Dindorf. Cf. Lobeck. Phryn. p. 189.

Supersunt autem alia quoque Ionismorum apud Xenophontem vestigia. Ionicam dativi pluralis formam in οισι, frequentiorem apud Arrhianum et Platonem, cujus exempla etiam in libris Xenophonteis inveniuntur, a Xenophonte abjudicavit Bornem. ad Anab. I, 4, 18. Cyrop. I, 1, 2. VII, 1, 10. In contrariam sententiam abiit Schaeferus ad Demosth. Appar. II, p. 135. Gregor. Cor. p. 375. sq. 897. Probo Kruegerum, qui et Anab. I, 4, 18. πλοίοισι restituit, et VI, 4, 33. ubi corrupta est lectio ἑκάστοισι. Athenaei infirmior est auctoritas, quam ut eandem formam reponas Symp. 2, 26. Singularis forma ionica exstat in Anab. IV, 8, 5. ἀντιτετάχαται, ubi vid. Bornem. De forma Ἀθηναίαν quam reposuerunt Anab. VII, 3, 39. vid. Krueger. ad l. l. de authent. Anab. p. 33. Porson ad l. l. Schaef. Greg. Cor. p. 394. Homericam formam παραιβάτας in

Cyr. VII, 1, 29. vulgatae παραβάτας ex Guelf. et Pariss. praetulerunt. De ionico πλατίᾳ, quod in libro de re equestr. 1, 14. jam Weiskius corrigi jussit, vid. quos citat Sauppius. De ionico genitivo τύρσιος, qui et Doriensium est, vid. Poppo ad Anab. VII, 8, 12. De formis aliquot nominum propriorum vid. Poppo praef. Cyrop. p. XXXV sqq. —

Praeterea afferam testimonia veterum grammaticorum, duo vocabula, quibus Xenophon usus est, Ionum esse affirmantium. Zonaras enim I. p. 494. Tittm. praeter Iones ex Atticis unum Xenophontem δημότης de plebejo dixisse ut sit i. q. δημοτικός auctor est. Qua potestate quum legatur in rep. Athen. 1, 4. auctoritatem authentiae illius libri certissimam invenisse sibi visi sunt. Legitur eadem significatione Mem. I, 2, 58. Cyrop. II, 3, 7. 15. ubi vid. Bornem. VIII, 3, 15. Non esse veram Zonarae sententiam probant exempla Atticorum. Sauppius vero, qui in quaest. Xenoph. spec. II. p. 10. scripturae varietatem ἰδιῶται, quam praebent Pariss. A. C. in rep. Athen. 1, 4. non prorsus negligendam censuit et Fuchs. qui in quaest. Xenoph. p. 82. de veritate scripturae dubitat, non attenderunt ad articulum in illis libris omissum, unde patet, quomodo vitium ortum sit. Alterum vocabulum est τέχνασμα, quo usus est Xenophon Hell. VI, 4, 7. quod Ionum proprium ab Atticis abjudicat Phavorinus s. v. τέχνημα. —

Corrigenda.

p. 3. l. 20. scr. Λακεδαιμόνιοι. p. 4. l. 27. τῷ pro τῶ. p. 5. l. 16. ἀνὴρ pro ἀνήρ. l. 18. τῷ pro τῳ. p. 6, l. 16. τοξευθεὶς. p. 8. l. 32. Argivorum. p. 16. l. 4. εὖ pro εὐ.

Jahresbericht

über

das Königliche Dom-Gymnasium zu Halberstadt

für das Schuljahr von Ostern 1843 bis dahin 1844.

A. Allgemeine Lehrverfassung.

Lehrer.	Lehrfächer.	Klassen und Stunden wöchentlich.							
		I a.	I b.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.
1. Dr. Theod. Schmid,	Lateinisch	8	8	10	10	10	10	10	—
Director	Griechisch	6	6	6	6	6	—	—	—
2. Dr. Bielmann, Ol.	Deutsch	2	2	2	2	2	4	4	7
3. Dr. Schatz, Oberl.	Französisch	2	2	2	2	2	2	—	—
4. Dr. Jordan, Oberl.	Hebräisch	2	2	2	—	—	—	—	—
5. Bormann, Oberl.	Religion	2	2	2	2	2	2	2	4
6. Dr. Hincke, Lehrer	Mathematik	4	4	4	3	3	—	—	—
der Mathematik	Rechnen	—	—	—	—	—	4	4	5
7. Dr. Heiland, Collab.	Physik	2	2	1	—	—	—	—	—
8. Ohlendorf, Collab.	Naturgeschichte	—	—	—	2	2	2	2	2
9. Geiß, Musikdirector	Philosophie	2	2	—	—	—	—	—	—
10. Dr. Hense	Geschichte u. Geographie	2	2	3	3	2	3	3	2
11. Bode	Schönschreiben	—	—	—	—	1	2	3	6
12. Orban, Schulamts-Candidat	Gesang	—	—	—	2	2	1	2	—
		32	32	32	32	32	30	30	26
13. Dr. Menzzer, Schulamts-Candidat									
14. Gorgas, Schulamts-Candidat									
